

bis Apostoli: Fides Christi est credere in eum qui
iustificat impium, credere in mediatorem sine quo
nemo reconciliatur Deo, credere in saluatorem
qui uenit quaerere & seruare quod perierat. Sed
hanc fidem nō apprehendit, qui ignorans Dei iu-
stitiam qua iustificatur impius, & suā uult con-
stitucere, qua conuincatur superbus. Talia enim
sentientes sua elatione, obdurantur, & excæcan-
tur, & cæc.

Articulus 10. Louaniens.

ITaque quàm diu inter hostes no-
stros & aduersarias potestates hic
uiuimus, nulla nobis est securitas,
sed cum timore & tremore (iuxta sen-
tentiam Apostoli) nostram salutem
operari debemus. Et secundum uarias
animorum nostrorū affectiones, nunc
magis sperare, nunc magis timere, sim-
pliciter tamē & magis frequentius de
misericordia Domini sperandum est,
quàm formidandum de seueritate.

Articulus 10. responsionis.

Cum dicimus fidem significare certam fidu-
ciam remissionis peccatorum. nemo suspi-
c